

Universitätsbibliothek Paderborn

Ōrigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

IX. Quo sensu Filium & ejus animam unum esse dixerit, quemadmodum
Pater & Filius unum sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

A turam *et ita fuisse* fuisse affirmaret; quasi animam illius tunc in cœlo fuisse crediderit.

Offensionem autem non haberet, quod dixit Origenes, quemadmodum homo ille, qui Verbo in una persona conjunctus est, Deum in se suscepit, ira nos quoque pro rata esse posse Dei participes, si gratia illud divinae, non proprijs meritis acceptum retulisset: sic enim Augustinus libr. De prædestinatione Sanctorum cap. 15. *Sicut ergo predestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi predestinati sumus, ut membra eius essemus.* Item: *Ea gratia fit ab initio fidei sive homo unicus Christianus, quia gratia homo ille ab initio factus est Christus.*

B X. Memoria prodidit Theophilus Alexandrinus in prima Paschali, & apud Theodoretum in Dialogo, cui titulus *De Christo*, censuisse Origenem animam quam assumit Filius Dei, & ipsum Dei Filium unum esse, quemadmodum Pater & Filius unum sunt. Hinc illi commoda vexandi pro more suo Origenis ansa, quam ipsi tamen extorquebimus. Nam primum agnoscit ibidem Theophilus de anima Christi dignitate recte aliquando sensisse Origenem, eamque Deo Verbo inferiorem credidisse. Præterea cum animam Christi & Verbum unum esse docuit, quemadmodum Pater & Filius unum sunt; non unum esse voluit eadem unitate in specie, sed eadem unitate in genere. Unitas enim Patris & Filii in eo convenit cum unitate Verbi & animæ, quod ad idem genus, unitatem nempe utraque referatur: in eo autem differunt, quod unitas Patris & Filii sit unitas naturæ, unitas essentie; unitas vero Verbi & animæ, sit unitas hypostatica, unitas personæ. Quemadmodum enim cum Solem pulchrum dico, & domum pulchram; utriusque pulchritudinem eamdem dico genere, discrepantem specie; alia quippe est domus pulchritudo, alia Solis: pessime enimvero mecum egerit, si quis inde me lumen domui tribuifles Soli fundamentum, contignationes, & fastigium calumnietur. Nec fictitiam esse & frivolum hanc distinctionem ostendit illud Athanasij in Symbolo: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* Nam cum anima constet homo & corpore, tamquam partibus unum aliquid efficientibus; Deus autem & homo, non tamquam partes Christum constituant, fieri enim non potest Deum esse partem totius alicuius; falsum erit Deum & hominem unum esse Christum, sicut anima rationalis & caro unus est homo; nisi eamdem repetamus distinctionem quam supra adhibuimus, Deum & hominem unum esse dicentes Christum eadem unitate in genere, qua anima rationalis & corpus est homo; at non eadem unitate in specie.

C D X. Gennadius Massiliensis in libro De dogmatibus, quem Augustino quidem falso adscriperunt cap. 2. sic scribit: *Natus est ergo Dei Filius ex homine, & non per hominem; id est, non ex viri coitu, sicut Ebion dicit: sed carnem ex Virginis corpore trahens, & non de cœlo secum afferens, sicut Marcion, Origenes, & Ebion affirmant.* Quæ si ad examen revocemus, fidem amittent. Falsum quippe est arbitratum Marcionem carnem de cœlo Christum attulisse. Sensit ille quidem, præceptorem suum Cerdonem assertatus, quidquid actum in terris à Christo, & administratum est, specie tantum, non revera gestum fuisse; nec veram induisse carnem, sed apparentem. Quem errorem in proxime sequentibus cū Gennadius ipse confutet, hic vero intactum prætermittat, intellexit hanc dubie verum ac solidum corpus Christo à Marcione fuisse tributum, contradicturnum alioquin hoc quoque loco, si falsum corpus Christo adcripsisse ipsum existimasset. Simile quidpiam de Marcione scriptum reliqui Vigilii libr. 3. *contra Eutychem.* *Eutychiana heresis in id impietatis prolapsa est errore, ut non solum Verbi & carnis unam credat esse naturam: verum etiam hanc eandem carnem non de sacro Maria virginis corpore adsumat, sed de cœlo dicat, justa infandum Valentini & Marcionis errorum, fuisse deductam.* Ita pertinaciter Verbum carnem afferens factum, ut per Virginem, ac si aqua per fistulam transisse videatur; non ramen ut de Virgine aliquid quod nostri sit generis, adsumisse videatur. At falsum esse carnem solidam in Christo Marcionem agnoscisse declarant Tertullianus, & Philastrius & Epiphanius, *Tertull. I. 3.* & Theodoretus. Nec verius est persuasum illud fuisse Origeni, quod ei affingit Gennadius: *citr. Marc.* verba siquidem ejus hæc sunt Homil. 14. in Luc. *Quod quidem & aduersus eos facit, qui negant* *cap. 11. 3.* *de Dominum nostrum humanum habuisse corpus, sed celestibus & spiritualibus fuisse contextum.* Si enim carnem Christi de cœlestibus, & ut illi falso adferunt, de Syderibus, & alijs quadam sublimiori, spiritualiisque natura corpus *Epiph. Har.* ejus fuerit, respondent quare, &c. Homilia quoque 17. in eundem Evangelistam, ad id quod *Epiph. Har.* habetur, cap. 2. v. 34. Et in signum cui contradicetur: *Omnibus que narrat historia de Salvatore,* *Epiph. Har.* *contradicitur. Virgo mater est; signum est cui contradicitur. Marcioniste contradicunt hunc signo, & aint* *41. c. 1. &* *penitus eum de muliere non esse generatum: Ebionite contradicunt signo, dicentes ex viro & muliere ita* *Epiph. Har.* *natum esse, ut nos quoque nascimur. Habuit corpus humanum; & hoc signum est cui contradicitur, alij* *2. &* *Theodoret.* *enim dicunt eum venisse de celis.* Hoc vero errore penitus implicatum fuisse Eutychem confirmat Fulgentius Respons. 4. ad Ferrandum Diacon. Huic præluterat Apelles, cuius in *lib. t. c. 24.* saniam illam exponit Epiphanius Har. 44. cap. 2. & Theodoretus libr. i. Fab. Hæret. cap. 25. Apellitas autem veneno suo Orientem inficienes coercuit Origenes, ut in ejus vita declaravimus: nedium in eorum vœcordiam consensit.